

The Electronic *Manipulus florum*  
[www.manipulusflorum.com](http://www.manipulusflorum.com)

Anima t  
cum uariis

Tria ista anima curiosa Dei non cessat inquirere, scilicet iusticiam et iudicium et locum habitationis glorie sponsi, tanquam uiam in qua ambulet, cautelam qua ambulet, et mansionem ad quam ambulet, ut de forma iusticie sit formosa, de iudiciorum noticia cauta, de desiderio presencie seu glorie sponsi casta. Talem prorsus decet sponsam pulchram, eruditam et castam. Perfectus est in cuius anima hec tria congruent, atque opportune concurrere uidebuntur ut gemere pro se et exultare in Deo nouerit simul proximorum utilitatibus potens sit subuenire: placens Deo, cautus sibi, utilis suis.

Bernardus super Cantica.

---

Varia in MANUSCRIPTIS (B C M) et in IMPRESSIS (P V<sup>1</sup> V<sup>2</sup> L<sup>1</sup> L<sup>2</sup>):

cautelam qua ambulet et mansionem ad quam ambulet *om.* P V<sup>1</sup> V<sup>2</sup> L<sup>1</sup> L<sup>2</sup>; opportune] optime P V<sup>1</sup> V<sup>2</sup> L<sup>1</sup> L<sup>2</sup>; uidebuntur] 4. pre. *add.* P V<sup>1</sup> V<sup>2</sup> L<sup>1</sup> L<sup>2</sup>; gemere] genere L<sup>2</sup>